MEDIOLANEN.

Beatificationis , & Canonizationis

VEN. SERVARUM DEI

CATHARINÆ A PALLANTIA

E T

JULIANÆ A BUSTO ARSITIO

Monialium Ordinis SANCTI AUGUSTINI BEATARUM nuncupat.

ANIMADVERSIONES

R.P.D. PROMOTORIS FIDEI

SUPER DUBIO

An constet de Cultu ab immemorabili tempore præstito BEATIS CATHARINÆ A PALLANTIA, ET JULIANÆ A BUSTO ARSITIO, *& casu excepto a Decretis sa. me. Urbani VIII., itaut Sententia lata per DD. Judices delegatos a cl. me. Card. Benedicto Odescalcho Archiepiscopo Mediolanen. super eodem immemorabili Cultu, & casu excepto sit confirmanda in casu &c.*

Eme , & Rme Dne.

QUUM in Processu anno 1724. ab Archiepiscopo Mediolanensi Ordinaria auctoritate constructo, quo usi fuerunt Postulatores pro obtinenda signatura Commissionis introductionis Caussæ SERVARUM DEI CATHARINÆ A PALLANTIA, ET JULIANÆ A BUSTO ARSITIO, vel nulla, vel pauca, eaque satis dubia, & incerta extarent monumenta, quibus inniterentur, ut probare possent publicum cultum ab immemorabili præstitum fuisse præfatis Dei Servis, casumque inter exceptos a *Decretis Urbani PP. VIII.* versari; ne certo periculo Caussam exponerent, satius duxerunt Literas Remissoriales, & Compulsoriales a Sacra Rituum Congregatione obtinere pro conficiendo Apostolica auctoritate Processu, in quo præter Testes, qui cum requisitis Immemorabilis formiter deponerent, antiqua monumenta colligerent, & Juris servatis solemnitatibus rursus inducerent Peritos alios, qui vel veterum manuscriptorum characteres, vel antiquarum Imaginum notas recognoscerent, certam indubiamque singulorum ætatem assignarent. Is Processus tandem expletus fuit, atque in spem

 eri-

eriguntur Caussæ Patroni, ut quæ in eo compulsata sunt monumenta certo demonstrent justam esse Sententiam in Processu Ordinario latam super Cultu iisdem Dei Ancillis præstito, ac proinde a Sacra Rituum Congregatione confirmandam.

2 Sed quamquam hæc eorum opinio sit; plura sunt tamen, quæ me prohibent, ne continuo dicam indubia esse argumenta, ac undequaque perfectas, numerisque omnibus absolutas probationes, quæ proferuntur. At primum ut ordinate in dubii examine procedam, *Actorum Validitas* expendenda mihi est: Porro si *de Processu Ordinario* sit sermo, aliqua offendi, quæ minus recte gesta sunt, aliqua penitus deficere, præcipue quoad jurium compulsationem animadverti. Verum hæc indicare nostra non interest, quippe quia Postulatores ipsi agnoverunt nullius roboris esse monumenta in eo compulsata tam ob compulsationis defectum, quàm ob illegale, & informe Peritorum examen, quamobrem eodem Informativo Processu non utuntur, ex eoque nil promunt præter Sententiam latam a Judicibus, quos delegaverat *Eminentissimus Archiepiscopus Mediolanensis Card. Odescalchus*, sed probationes omnes *ex Apostolico Processu* desumunt.

3 Ad hunc autem sermonem convertens nequeo non fateri Judicem, qui ejusdem constructioni incubuit, omnem navasse operam, ut omnia fierent, quæ vel *Jus Commune* exigit, vel *Literæ Remissoriales* præscribunt, nihilominus adnotare fas sit monumentorum, quæ compulsanda erant, exempla non ab Amanuensi a Judice deputato, sed vel a Postulatore, sive ab altero nescio quo de ejus mandato confecta fuisse; nam is = *Documentorum copias.... jam exaratas præsentavit eidem D. Judici ad effectum collationandi cum originalibus respectivis, & inserendi in Processu* = *Proc. Apost. fol.* 991.: Siquidem de Juris rigore a Judice deputandus est Amanuensis, qui Documentorum exempla conficiat prævio juramento de munere fideliter implendo. Verum parvi fieri posse videtur hæc difficultas, nam collatio exempli cum autographo peracta fuit omnibus adhibitis Juris solemnitatibus, itaut de fidelitate transumti ambigendum non sit.

4 Animadverti etiam Scribas, qui ad exemplandum Processum fuerunt deputati, jurasse quidem de fideliter implendo munere, non autem de servando secretum *Proc. fol.* 1167. *ter.*, quamquam utraque cautio præstanda sit, uti adnotant *sa. me. Benedictus XIV. lib.* 2. *cap.* 50. *num.* 1., *& Rosa in Addit. ad Tract. de Execut. Litter. Apost. num.* 311.: Fateor tamen in veritatis obsequium hanc difficultatem etsi pluries in consimilibus Caussis excitatam, semper tamen a Sacra Congregatione fuisse posthabitam; tum quia agitur de exemplatione Processus publici juris jam facti, tum quia id in Literis Remissorialibus non præscribitur.

5 Expeditus ab examine Actorum, *ad Relevantiam* modò accedo: In hoc autem non est mihi animus expendendi omnia ea monumenta, quæ demonstrant vel infra centenariam, vel post Urbani Decreta publicum Cultum Dei Ancillis fuisse præstitum: Quum agatur de probatione *Immemorabilis*, ea tantum prosequar, quibus Caussæ Patroni satis probari contendunt a tempore, cujus initii memoria non extat, publicos Sanctorum honores iisdem fuisse delatos, in quo illum sequar ordinem, quem sectari placuit iisdem Caussæ Patronis *pag.* 9., *& seq. sub titulo de Relevantia*: Quum autem agatur de binis Dei Ancillis, quarum altera, scilicet Catharina Pallantia 4. *Aprilis anno* 1478. ad Superos evolavit, altera vero Juliana a Busto Arsitio *ad annum* usque 1505. superstes fuit, tametsi conjunctim earumdem agatur Caussa, quæ in vita eamdem in virtutum stadio injere viam, eamdem post obitum sanctitatis opinionem reliquerunt, idemque sepulcrum sortitæ

titæ ſunt, non omnia tamen, quæ proferuntur documenta utramque reſpiciunt, ſed aliqua circa alterutram tantum verſantur, quod agnoſcent Emi Patres ex iis, quæ mox dicturus ſum.

6 Porro non inficior Ven. Ancillas Dei *Beatarum* titulo fuiſſe decoratas, ex quo titulo *prima* deſumitur cultus ſpecies: Nutant tamen quæ antiquiora proſtant Documenta, itaut certum omnino non ſit, an ſpecioſiſſimo hoc titulo ditatæ fuerint ante centenariæ initium. Siquidem leguntur *in Summario pag.* 15., *& ſeq. pag.* 34., *& ſeq.* Vitæ Servarum Dei, quas ſcriptas tradunt a quadam Sorore *Benedicta Bimia*, quæ quum earumdem fuerit Conſodalis, res, quas oculis accepit ſuis, ſcripto conſignaſſe dicitur, ac poſterorum memoriæ tradidiſſe: In iiſdem hic titulus non deſideratur, an vero ita accipiendus ſit, ut cultus ſpeciem conſtituat, an iiſdem hiſtoriis integra adhibenda ſit fides, an metam excedant ad immemorabile requiſitam dubia res eſt.

7 Etenim etiamſi tribuantur hæ Vitæ *Benedictæ Bimiæ*, attamen nullum eſt argumentum, quod certos de hoc nos reddat, imo alterutram ſaltem diverſum agnoſcere Auctorem probabiliſſimum eſt, ceu recte adnotavit *Emus, & Rmus D. Cardinalis Veterani in Animadverſionibus*, quas doctiſſime de more confecit *ſuper hujus Cauſæ Introductione*; etenim, ut ejus utar verbis, *ſi cautus Lector invicem conferat unam, & alteram Vitam, fateri cogetur non ab uno, ſed a diverſo prorſus calamo fuiſſe concinnatas: Prima ſiquidem ſtylum exhibet quantum ea fert ætas non omnino impolitum, ac rudem, multiplicem immiſcet Sententiarum locorum Divinæ Scripturæ latinæ, & Græcæ eruditionis ſuppellectilem, difficile comparabilem a fœmina ſcientia, & liberalibus diſciplinis non inſtructa: Altera vero faciliori currit gradu, & compoſita apparet ſtylo ſequenti tempori accommodato* =. Quanti autem fieri debeat hæc difficultas dum characteres, & notæ deſunt, quibus certus innoteſcat Auctor, ipſi intelligent Cauſſæ Patroni: Equidem quoad Vitam S. D. CATHARINÆ A PALLANTIA hæc habet Fridericus Cardinalis Borromeus in Opere, cui titulus *de Amore Virtutis*, *Proc. Apoſt. fol.* 1057. *ter.* = *Nomen quidem unius, cujus hortatu ſcripta vita illa fuit, extat Benedicta Bimia, eaque ſecunda Monaſterii Antiſtes fuit; ſed nomen illius, quæ ſcribendi laborem ſumpſerit, adhuc inveniri non potuit* =, quæ quidem verba oſtendunt potius præfatæ Vitæ alium fuiſſe Auctorem præter *Benedictam Bimiam*, quæ tantum dedit operam, ut præfata Vita ſcripto traderetur.

8 Et ſane exempla, quæ in Proceſſu compulſata leguntur, nequaquam fuerunt ex autographis extracta, ſed ex quibuſdam apographis, ceu teſtati ſunt Periti Scriptores, quibus Codices fuerunt exhibiti: Hoc eſt enim eorumdem judicium de Vita Ven. *Catharinæ a Pallantia* = *Io la reputo Copia avendo in eſſa notati alcuni ſenſi inviluppati, ed altri di neſſuna intelligenza, e ciò per mancanza di parole* = *Proc. Apoſt. fol.* 836. *in fin.* = *giudicando aſſeverantemente per la longa eſperienza non eſſer queſto Codice Originale, ma bensì una Copia molto antica &c.* = *fol.* 868. *ter.*. Quoad alteram vero JULIANÆ A BUSTO ARSITIO hæc habent *Proc. fol.* 1027. = *da queſta eſpreſſione ſi deduce, che queſta Vita è copia tratta dall'Autografo* =, & *fol.* 1032. *ter.* = *l'eſemplare, che ora ritrovaſi nell'Ambroſiana, è patentemente una copia* =. Quum itaque deſit certus Vitarum Auctor, earumque pariter deſiderentur autographa, jam patet eaſdem incertæ eſſe auctoritatis.

9 Quamquam quum non agatur de fide vindicanda ſingulis factis, quæ in iiſdem referuntur, præteriri fortaſſe hæc poſſent, ſi aliunde apographa iſthæc tantæ eſſent antiquitatis, quanta ad immemorabile eſt neceſſaria, & illam Cultus ſpeciem adſtruerent, quam probare contendunt Cauſſæ Patroni: Ve-

rum si de illa loquamur CATHARINÆ A PALLANTIA, Periti, qui examinati fuerunt in Processu Ordinario, de ejus antiquitate nullum protulerunt judicium, sed peracta Codicis descriptione illum authenticum non esse dixerunt *Proc. Informat. fol.296.*; Periti vero, qui ad examen accesserunt in Processu Apostolico, scriptum fuisse *labente Seculo XV.* arbitrati sunt. Quoad Codicem vero, in quo legitur *apographum* Vitæ Servæ Dei JULIANÆ A BUSTO ARSITIO, quantæ sit antiquitatis incertum est, nam alter Peritus adfirmat = *per quanto poi riguarda il tempo, in cui fù scritta questa copia, io reputo, massime osservando le abbreviature espresse con mano franca, che sia fattura non posteriore alla metà del Secolo decimo sesto* = Proc. Apost. *fol.*1029., alter vero *fol.*1032. *ter.* = *L'esemplare*, inquit, *che ora ritrovasi nell'Ambrosiana, è patentemente una copia fatta verso il principio del Secolo decimo settimo* =. Porro si verum est Codicem scriptum fuisse ante annum 1550., falsum sit oportet judicium alterius, qui arbitratur circa initium *Sæculi XVII.* fuisse confectum: Verum quamvis in certa Codicis designanda ætate discordes Periti sint; unum tamen est verum, scilicet vel infra, vel labente centenaria fuisse scriptum; qua in specie nequit ex eo immemorabilis cultus argumentum desumi.

10 Non me latet in iisdem Vitis Venerabiles Ancillas Dei *Beatarum* titulo decorari. At enim vero certum non est, an idem titulus supra *personas* potiùs, quàm supra *mores* cadat; quin immo magis urget difficultas quoad JULIANAM A BUSTO ARSITIO; nam in ejusdem Vita raro admodum *Beatæ* titulus legitur; contra vero ut plurimum ipsa appellatur = *la devotissima Sorore Juliana* = *questa Serva di Dio Soror Juliana* = *constantissima Sor. Juliana* = *questa Vergine Soror Juliana &c.* = Sum. *pag.*34. §.154., *pag.*35. §§.155., 156., 164., *pag.*37. §§.175., 176., & alibi: Ad alteram vero quod attinet, præter Vitam, in qua semper *Beata* dicitur, proferuntur antiqua aliqua instrumenta Miraculorum Servæ Dei Intercessione patratorum, nec non antiqua charta, in qua adnotatur *Indulgentia*, quam concessit *Cardinalis Gurcensis* invisentibus Imaginem Crucifixi = *della Beata Caterina* = Summ. *pag.*31. *ad pag.*34. Haud pernego monumenta isthæc satis esse antiqua, ac in iisdem *Beatæ* titulo Ancillam Dei decorari: At aliquando etiam diverso appellatur nomine, scilicet = *præfatæ Dominæ Caterinæ* = *jam defuncta Ven.*, *& Religiosa Domina Caterina* = *Reverendæ Dominæ Caterinæ &c.* = Summ. *pag.*33. §.151., *pag.*34. §.152., quamobrem dum ambæ hæ Ancillæ Dei *Beatæ* nuncupantur, dubitandum est, an hic titulus ita accipi debeat, ut necessario aliquam cultus speciem designet.

11 Augetur difficultas præsertim quia, ut refert Testis III. *pag.*41. §. 214. Ancillæ Dei Beatarum titulo decorabantur quum adhuc viverent = *sino quando dette due Beate erano vive venivano denominate per Beate, e che dopo la di loro morte sieno state così denominate* = quamobrem nil facilius, quod etiam post obitum, qui earumdem vitam scripsit eumdem sectaretur morem, & *Beatas* appellaret, ac proinde consequitur eumdem titulum produci non posse tamquam publici cultus argumentum, sed tanti esse ponderis ac titulum *Sancti*, quo a S. Hieronymo *Paulam Romanam*, a S. Catharina Senensi *Agnetem de Monte Politiano*, & sæpissime a pluribus ante Canonizationem *S. Hiacynthum* denominatos fuisse ostendit *san. mem. Benedictus XIV. lib.*2. *cap.*12. *num.*2.

12 Ceterum monumenta, quibus probare contendunt Postulatores *Beatæ* titulum relate ad Servam Dei CATHARINAM PALLANTIAM, scripta dicuntur labente *Seculo XV.*: At enim vero in Literis Apostolicis, quibus

anno

anno 1502. *Alexander VI.* facultatem fecit Monialibus Monasterii B. Mariæ Montis Ordinis S. Ambrosii transferendi corpus dictæ Servæ Dei in internam Monasterii Ecclesiam, nec vocula legitur, ex qua colligi possit rem esse de Famula Dei publico jam decorata cultu; En Literarum verba = *Exponi nobis fecistis, quod quum quondam Catharina de Pallantia .. ab hac luce migrasset . . . quodque desideratis corpus istius Catharinæ propter ejus laudabilem vitam, etiam ex eo quia prima Abbatissa istius Monasterii fuit, inde exhumari, & in Ecclesia istius Monasterii sepeliri facere; Nos Vestris supplicationibus in hac parte inclinati, vobis ut corpus ipsius Catharinæ de dicta Ecclesia, in qua sepultum est . . . exhumari facere, & ad Ecclesiam intra clausuram istius Monasterii existentem transferre, ac in ea sepeliri facere libere, & licite valeatis tenore præsentium concedimus* = Proc. Apost. *fol.*1138. *ter.*; Bollandiani enim ex iisdem Apostolicis Literis nil aliud desumi posse arbitrati sunt, nisi privatum cultum a Sanctimonialibus Dei Famulæ fuisse tributum, ceu adnotat *Benedictus Pontifex lib.*2. *cap.*20. *num.*11.: Sed inde etiam augetur dubium §. *Superiori* excitatum, num enunciatio *Beatæ*, quæ legitur in monumentis Brevi antiquioribus, speciem aliquam publici Cultus designet; nam si ita esset, profecto *Alexander VI.* enunciative saltem Ancillam Dei *Beatam* dixisset.

13 *Alteram* cultus speciem, quæ reponitur *in elevatione, & retentione sacrorum corporum utriusque Beatæ in Altari*, præterire hic possem, nam ut Postulatores ipsi fatentur = *hæc ad præsentem Cappellam, seu Altare sacrorum corporum collocatio peracta fuit paucis abhinc annis* = in *Informat.* §.31. Verum antiqua proferunt monumenta, quibus & hanc cultus speciem ab immemorabili iisdem tributam volunt: Ex his tamen tantum desumi potest cultus indicium non ante centenariam, sed ea jam decurrente: Ad arcam enim quod attinet, in qua olim recondebatur corpus VEN. CATHARINÆ, hæc confecta fuit non ante annum 1536., ut patet ex Peritorum judicio *Summ. pag.* 75. §. 16., *pag.*81. §.39., & ex *Cæsare Tettamantio* ejusdem Vitæ Scriptore apud *Bollandianos ad diem* 6. *Aprilis num.*23.: Arca vero, in qua repositum dicitur corpus Servæ Dei Julianæ, confecta fuit *anno* 1543. Summ. *pag.*86. §.55. *pag.*87. *in fin.*, *& seq.*, *pag.*90. §.69. Neque ullum subest argumentum, quo certo sciamus reapse in eadem Ancillæ Dei corpus fuisse conditum, nam id tantum traditio fert, & supra eamdem arcam hæc leguntur = *In hac capsa communiter dicitur repositum fuisse corpus Servæ Dei Julianæ a Busto Arsitio die* 16. *Aprilis a Nativitate Domini* 1543., *quando fuit extractum a Sepulcro communi* = Process. *inform. fol.*491. Porro si usque ad annum 1543. præfatum corpus in communi sepulcro delituit, dubia magis mihi redditur probatio cultus, qui ante hæc tempora ei dicitur exhibitus.

14 Cetera monumenta, quæ indicantur *in Informatione sub eodem* §.31., posteriora sunt: Nam marmorea illa tabula, in qua corpora Servarum Dei inter Sanctorum recensentur reliquias, antiquior non est *anno* 1684. *Summ. pag.*75. §.15., *pag.*81. §.38.: Testamentum *Nicolai Cid* Hispani confectum fuit *anno* 1648. *Summ. pag.*64. §.100., & ex Visitationibus Pastoralibus antiquior, quæ profertur, *anno* 1567. consignatur *Summ. pag.*64. §.101., *& seq.*; quamobrem hæc non sunt ad effectum idonea: Quod autem præfata omnia dubia magis, & incerta mihi reddit, decretum illud est, quo *Mediolanensis Antistes Fridericus Vicecomes* mandavit, ut Servarum Dei corpora, quæ publicæ venerationi fuerant exposita, eodem reponerentur in sepulcro, in quo antea jacuerant = *Cum non multis abhinc annis corpora Venerabilium Catharinæ de Pallantia, & Julianæ de Busto ex sepul-*

sepulchris, in quibus jacebant, translata fuerint in Sacellum sacrarum reliquiarum, supraque Altare, in quo Missæ celebrantur, fuerint collocata, mandamus eadem reponi iisdem in locis, in quibus antea condita erant pro exequutione Bullæ fel. record. Urbani PP. VIII. editæ die 5. Julii anno 1634., *necnon Decretorum Congregationis Sacrorum Rituum editorum die* 27. *Septembris anno* 1659., *& a fel. record. Alexandro PP. VII. confirmatorum, quod præcipimus fieri absque ulla prorsus pompa noctu, & quam occultissime præsente dumtaxat Confessario, & Operariis necessariis; ne dum cultum moderamur ad Apostolicas Sanctiones, ille inopinato augeatur* = Proc. *Inform. fol.*443., nam si in hoc Decreto, quod editum fuit *anno* 1682., dicitur paucis ante annis Servarum Dei corpora in sepulcris jacuisse, jam prorsus corruit altera hæc cultus species.

15 *Tertium* cultus indicium desumitur *ex Imaginibus* Servarum Dei; quarum capita laureolis, atque splendoribus sunt redimita: Plurimæ profecto sunt hujusmodi Imagines, quarum bene multæ vel infra, vel post centenariam fuerunt coloribus expressæ: Nihilominus, ut veritati obsequar, fateor aliquas, quæ VEN. ANCILLAM DEI CATHARINAM repræsentant, metam ad immemorabile requisitam superare *Summ. pag.*76. §.19., *&* 21., *pag.*77. §.24., *pag.*82. §.41., *pag.*83. §. 43., *pag.*84. §.46., & alibi, quamquam quoad illam attinet, quæ sita est supra coronam Ecclesiæ, tametsi Periti Pictores *in Proc. Apost*, examinati circa initium *Seculi XVI.* eam fuisse depictam arbitrati sint *Summ. pag.*76. §.19. *pag.*82. §.41.; nihilominus Periti Pictores, qui examen explerunt in Ordinaria Inquisitione, nil certi de ejusdem antiquitate statuere valuerunt = *Noi non potiamo individuare l'autore, nè il tempo, in cui sia stata fatta* = *fol.*501. *ter.*

16 Si de Imaginibus *alteram Dei Famulam* repræsentantibus sit sermo, vix una est, quæ antiqua dici possit, ea scilicet, in qua conspicitur utraque Serva Dei prope Sanctas Catharinam, & Apolloniam Virgines, & Martyres: Ea enim censetur Auctori tribuenda, qui circa initium Seculi XVI. floruit, *Summ. pag.*87. *circa med.*, *& pag.*91. *ante* §.72. Nam si de Imagine loquar, quæ supra murum plateæ Capsinæ Vergheriæ conspicitur, & *in Summ.* relata *pag.*97. §.100., & *pag.*100. §.111., non videtur ad effectum idonea; Hæc siquidem Imago ob temporis antiquitatem adeo corrosa est, ut ne datum fuerit agnoscere quo colore esset vestis, ut patet ex ejus descriptione *Summ. pag.*63. §.96.: Nulla præterea subest Imagini Inscriptio, ex qua certo cognosci possit eamdem revera esse Servæ Dei Julianæ, quamobrem Periti ausi non sunt indubie, ac certo asserere Julianam in ea repræsentari *Summ. pag.*97. §.100., *pag.*100. § 111., quum autem alter Peritus dixerit = *la giudico dipinta dal* 1500. *al* 1550. = *Summar. dicta pag.*100. §.111. incertum remanet, an ætatem ad immemorabile requisitam superet.

17 Minime vero probatur immemorabile relate ad *quartam* cultus speciem, quæ eruitur *ex festo in Servarum Dei honorem celebrato*; Nam antiquius documentum est charta quædam pergamena, in qua legitur = *Si ricorda a voi Sorelle, come avete obbligo perpetuo d'illuminare tutte le vigilie, e feste della B. Caterina, che viene alli 6. d'Aprile, e della B. Juliana, che viene a'* 15. *Agosto, e questo per certi danari lasciati da un gentiluomo* = Sum. *pag.*103. §.20.; Sed quantæ antiquitatis hæc pergamena sit, omnino ignoramus: Duo siquidem Periti in Ordinario Processu examinati certam ejusdem ætatem indicare ausi non sunt *eod. Proc. fol.*301.: Alter etiam ex illis, qui examen explerunt *in Proc. Apost.*, nil certi statuit *Summ. pag.*103. §.22.: Et quamquam unus sit, qui examinatus *anno* 1766. asserat = *Io non*

sono

ſono lontano da giudicarlo fattura di circa ducento cinquanta anni = ſcriptum ſcilicet circa *annum* 1516., attamen caute loquitur, nec tamquam certum judicium profert, quin imo concludit, ac proteſtatur = *tuttavia io intendo quì di proferire tale giudizio per via di prudenti conghietture, e non per certezza di ſcienza* = Summ. *pag.* 103. §.21. : Quum autem nil certi definire fas ſit de hoc documento, quod ſolum ad immemorabile comprobandum eſſet idoneum; hinc patet hanc cultus ſpeciem ad effectum, de quo agitur, nullo in pretio habendam eſſe.

18 Tandem *poſtremam* cultus ſpeciem nil moror, quippe quia documenta, quæ leguntur in *Summ. pag.* 104., *& ſeq.*, recentiſſima ſunt, & tantum comprobare poſſunt circa *annum* 1648., decimo quarto jam decurrente poſt editas *Conſtitutiones Urbani*, Servæ Dei CATHARINÆ A PALLANTIA reliquias fuiſſe aſſervatas inter alias Sanctorum reliquias; Nam de illis Servæ Dei JULIANÆ A BUSTO ARSITIO fit tantum mentio in quodam ſupplici libello, quo anno 1651. Incolæ Loci *de Verghera* petierunt ſubuculam dictæ Dei Famulæ in Sacello recenter conſtructo reponendam *Summ. pag.* 106., *& ſeq.* §.13., *& ſeq.*. Itaque ſi nullum eſt documentum, quod antiquius ſit, ex his certe, quæ proferuntur, nullo pacto probari poterit ante centenariæ initium Servarum Dei reliquias decenti in loco, ceù Sanctorum eſſent, detineri conſueviſſe.

Quæ dicta ſint &c. ſalvo &c.

Carolus Alexius Piſani S. Fidei Promotor.

